

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2023-2024  
À rendre avant le **lundi 30 octobre midi** (casier au DSA)

### **Version latine n°4 : une science de charlatans**

Ortum uideamus haruspinae ; sic facillume, quid habeat auctoritatis, iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente et eum adfatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur uisus, sed senili fuisse prudentia. Eius adpectu cum obstipuisset bubulcus clamoremque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque breui tempore in eum locum Etruriam conuenisse. Tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia uerba eius exceperint litterisque mandarint. Omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspinae disciplina contineretur ; eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab ipsis, haec scripta conseruant, hunc fontem habent disciplinae. Num ergo opus est ad haec refellenda Carneade ? Num Epicuro ? Estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam an hominem ? Si deum, cur se contra naturam in terram abdiderat, ut patefactus aratro lucem adspiceret ? Quid ? Idem nonne poterat deus hominibus disciplinam superiore e loco tradere ? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppressus uiuere ? Vnde porro illa potuit, quae docebat alios, ipse didicisse ? Sed ego insipientior quam illi ipsi qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum uidisset.

Cicéron